



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XX. De Causa Possessionis Et Proprietatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

TITULUS XX.
DE CAUSA POSSESSIONIS
ET PROPRIETATIS.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 12. In
Clement. Tit. 3.

§. 226.

*Possessio
facti, &
juris.*

QUANTI interfit, ut debitus Cogni-
tionum ordo servetur, vix alibi
magis se prodit, quam in Cauſa Poſ-
ſeſſionis & Proprietatis. Alibi dictum
77.) per Poſſeſſionem intelligi deten-
tionem rei, vel uſum juris, animo
illam rem, vel juſ ſibi habendi, ju-
ris adminiculo concurrente. Ex hac
detentione, quæ vocari ſolet *Poſſeſſio
facti*, oritur *Poſſeſſio juris*, id eſt, juſ
reale, ſeu poteſtas rem ſibi detinendi,
&

facit RAYNALDUS Annal. tom. 13. ad
ann. 1233. n. 62. Juxta eodem Anna-
les ad annum 1219. n. 38: eadem ex-
ceptio oppoſita fuit Philippæ, quæ erat
ſoror Reginæ Cypri Adelæ, quarum
mater fuerat Iſabella nupta Henrico Co-
miti Campaniæ: unde juſ ad hunc Co-
mitatum prætendebant hæ ſorores, qui-
bus illegitimos Natales objiciebat Theo-
baldus Henrici frater.

77.) De Jur. Rer. Eccleſ. Sect. IV. tit. 21,
§. 565.

& commodis inde convenientibus fruendi. Distinctionem etiam dedimus 78.), inter Possessionem vere talem, & quasi Possessionem; inter Possessionem naturalem & Civilem.

§. 227. Per Proprietatem hoc loco *Dominium* intelligitur dominium rei, vel *plenum, nium plenum*, quod concedit facultatem perfecte *num*, & disponendi de re, ita ut jure contra-*non plenum* aliterius in eandem rem, impediri *num* non possit; vel *non plenum*, vi cuius quis disponere potest tantum de substantia, uti dominus *directus*; aut de utilitate & fructibus rei, uti dominus *utilis*, vasallus, emphyteuta &c.

§. 228. Multa sunt Possessionis *com-* *Possessio-* *moda*: præprimis *in pari causa potior nis com-* *est conditio possidentis* 79.). Unde *flu-* *moda* *unt multæ illationes*, quod *Possessio multa*, relevet ab onere probandi Proprietatem, & illud rejiciat in Adversarium; quod pariat præsumptionem dominii; aut saltem præset conditionem usucapiendi, & præscribendi dominium rei; quod tribuat jus administrandi rem

78.) Ibid. §. 568.

79.) C. 65. de R. J. in 6. L. 128. ff. eod. Doctores in L. quoties. 15. C. de Res Vind.

rem possessam, & fructus inde percipiendi lite pendente; quod obliget Judicem ad manutenendum Possessorem, dum durat lis mota; quod præsumatur bona fides, & etiam titulus, si Possessio sit longissimi temporis aut immemorialis; præscriptione autem non completa, detur Possessori actio *Publiciana*, vi cujus potest quis vindicare rem possessam sibi ablatam adversus quemcunque, excepto vero domino, & eo, qui cum titulo possidet; aut etiam potestas vim vi repellendi, ut possessione violenter dejectus, in continenti repetere possessionem possit etiam armis; quod privilegium censeatur subreptitium & nullum, si in præjudicium possessoris est impetratum, nisi in eo fiat mentio derogatoria Possessionis.

*Nisi jus
resistat.*

§. 229. Ad hos effectus necesse est, ut possidenti non resistat jus, sicut resistit Laico alleganti possessionem juris spiritualis; ut Adversarius non habeat pro se intentionem fundatam in jure; ut contra Possessorem non stet gravis præsumptio; ut non constet de Possessione antiquiore, præsertim in Matrimonialibus & Beneficialibus: prævalet enim Matrimoni-

um prius contractum, & prior Beneficii collatio.

§. 230. Ex dicto jure rem possess. Quos fructus administrandi, & fructus percipiendi, oritur quaestio, an Possessorre evida rei frugiferæ interim fructus lucretur, restituat & faciat suos? Certum est, Possessor rem malæ fidei, qualis juridice censetur esse quoad fructus post litis contestationem perceptos, teneri ad restituendos vero domino rem suam evincenti, fructus omnes perceptos & percipiendos. Bonæ fidei Possessor ad rem restituendam condemnatus, tenetur simul reddere fructus pendentes, & formaliter adhuc extantes 80.) non autem compensare fructus mere consumptos, ex quibus non est factus ditior; nec fructus industriales, aut civiles, qui mediante industria, vel obligatione civili proveniunt.

§. 231. De fructibus naturalibus virtualiter extantibus, id est, ex quorum consumptione Possessor factus est extans?

di-

80.) Certum est, mala fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re prestare, bonæ fidei vero, extantes. L. 22. C. de rei Vindic. Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, suos interim facit. L. 48. ff. de acquir. rer. dom.

ditior, adeo perplexe loquuntur Le-
ges, ut de earum sensu vix aliter,
quam ex cujuslibet Tribunalis praxi
judicari possit. Leges Possessori bonæ
fidei dominium fructuum tribuunt
Interim, ex qua voce colligunt aliqui,
concedi solummodo dominium revo-
cabile. Verum eo ipso, quod fructus
consumpti sint, perit etiam fructuum
dominium cum omnibus qualitatibus,
inter quas est revocabilitas. Dein abs-
que limitatione loquitur Imperator
§1.) : *naturali ratione placuit, fructus
quos percepit, ejus esse pro cultura & cu-
ra. Et ideo, si postea dominus supervene-
rit, & fundum vindicet, de fructibus ab
eo consumptis agere non potest: negata
autem actione, non apparet, quo ju-
re ad restitutionem compelli possit
Possessor bonæ fidei, quem fructus
lucrari oportet, si eos consumpsit §2.).* A-
liter sentiendum est de fructibus hæ-
reditatis, aut rei titulo universali pos-
sessæ; quia fructus constituunt par-
tem hæreditatis, & simul cum hac pe-
tuntur eadem actione. Juri naturali
videtur quidem conveniens, ut Pos-
fessor

§1.) §. 35. Inst. de rer. divis.
§2.) L. 4. §. 2. ff. fin. regund.

feffor simul cum re restituat fructus, ex quibus auctum est suum patrimonium: nihilominus cum Leges tali possessori clare tribuant dominium fructuum, qui proin non ex alieno, sed ex re sua propria locupletatur, nec ullibi aperte deciditur, dominium istud concedi solummodo sub onere compensandi eos fructus pro casu evictionis; hinc merito inferimus, mentem Legum non esse, ut compensentur fructus consumpti, ex quibus possessor bonæ fidei factus est locupletior, præsertim cum inextricabiles orirentur controversiæ, donec determinetur, quantum lucrum ex consumptis fructibus tali possessori accesserit: unde passim experimur, in judiciis nullam haberi rationem talis lucri.

§. 232. Quando de Possessione agitur, dicitur *Judicium Possessorium*; quando de rei Proprietate, dominio, vel alio jure a Possessione diverso, dicitur *Petitorium*. Sicut in *Petitorio* intentantur *Actiones* 83.), ita in *Possessorio* ad manum sunt *Interdicta*, seu *Decreta Prætoris* pro Possessione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda.

Interdicta Possessoria:

Pro

Pro Adipiscenda Prætor dat Interdictum
 I. Quorum bonorum hæredi universali
 contra eum, qui hæreditatem occupa-
 vit 84.). II. Quod legatorum, con-
 tinens hanc causam, ut quod quis lega-
 torum nomine, non ex voluntate hæredis
 occupavit, id restituat hæredi 85.). III.
 Interdictum Salvianum competens do-
 mino fundi adversus colonum, ad con-
 sequendam possessionem rerum in
 prædium conductum illatarum, & lo-
 catori pro pensione conductionis ta-
 cite oppignoratorum 86.). Similiter
 pro Retinenda Possessione rerum immo-
 bilium, vel jurium datur interdictum
 Uti possidetis: pro retinendis rebus mo-
 bilibus Interdictum Utrobi. Demum
 pro Recuperanda Possessione datur In-
 terdictum Unde vi, si res sint immobi-
 les, aut jura rebus immobilibus æqui-
 parata: vel actio Vi bonorum raptorum,
 si agitur de Possessione rerum mobili-
 um. In singulis Judicii Possessorii spe-
 ciebus remedium præbetur ex Officio
 Judicis 87.).

§. 233.

-
- 84.) L. 1. ff. L. 2. C. quorum bonorum.
 §. 2. Inst. de Interdict.
 85.) L. 1. §. 2. ff. quod Legator.
 86.) §. 3. Inst. de Interdict.
 87.) De his remediis accurate agit Man-
 nocrius de Possessione.

§. 233. Cognita natura Possessionis *Hec in-*
& Proprietatis, facile quivis perspicit, *tentanda*
quam salutare sit consilium Juriscon- *ante Pe-*
sulti 88.) : *is qui destinavit rem petere, titorium.*
animadvertere debet, an aliquo Interdicto
possit nancisci Possessionem: quia longe com-
modius est, ipsum possidere, & Adversari-
um ad onera petitoris compellere, quam alio
possidente petere. Si quis igitur intenta-
re possit Judicium, tum Possessorium,
tum Petitorium, consultum semper
est, ut prius experiatur Possessorio.
Nam facilior est probatio Possessionis;
difficilis autem probatio Proprietatis
& domini: probata autem Possessione,
usui sunt ea commoda, quorum supra
fecimus mentionem. Unde frequen-
ter contingit, ut uterque litigantium
se Possessorem dicat, & Possessionis
privilegia sibi vendicet. Pro decisione
talis Causæ usui possunt esse, quæ ani-
madvertit in simili casu Pontifex INNO-
CENTIUS III. 89.), scilicet pronunti-
andum pro eo, qui probavit Posses-
sio-

88.) L. 24. ff. de Rei vindic.

89.) In C. licet causam. 9. de Probat. de-
sumpto ex ejusdem Pontificis Lib. X.
Epist. 116.

tionem antiquiorem ; qui simul probavit titulum suæ possessionis ; qui plures numero testes & minus suspectos pro se adduxit ; si in his omnibus partes fuissent pares, INNOCENTIUS pronuntiasset, *uti possidetis, ita possideatis*, ut utraque pars possideat communiter & pro indiviso. Nam in tali iudicio duplici, uterque litigans simul est Actor & Reus, & ideo neutrius partes sunt favorabiliores. Ferri talis sententia non potest, si causa non admittit possessionis communionem, qualem non admittit Causa Beneficialis, in qua cum agatur de præiudicio Ecclesiæ, potius ab utroque auferri debet Beneficium. In aliis causis, si ex communi Possessione timendæ essent turbæ, vel scandala, potius Possessio esset sequestranda, donec in Petitorio pateat, ad quem pertineat Proprietas, quæ absorbet Possessorium. Raro placebit Judici imitari M. Sylvium Othonem, qui postea imperavit. Is cum privatam adhuc ageret vitam, a duobus de Finibus arbiter electus, agrum, de quo orta erat quæstio, ab uno eorum emit, & alteri contendentium dono dedit, atque

que ita inter ipsos litem sustulit 90.)

§. 234. Cum igitur sæpe difficile sit, inter duos de Possessione Retinenda contendentes judicare, cujus potior sit conditio; & difficilius sit, eosdem ab omni violentia interim coërcere, do- nec *Causa* ad ferendam de legitima Possessione sententiam sufficienter instruta sit: ideo aliud remedium, quod plerumque Possessorium *Summariissimum* dicitur, apud Tribunalia invaluit, cujus tamen & nomen & usus in diversis locis est diversissimus. Si exacte loqui placeat, denominatio *Judicii Ordinarii* solummodo accommodanda est *Petitorio*, in quo servatur *Juris Forma Ordinaria*, omnesque solennitates: omne autem *Judicium Possessorium* est *Summarium*, absque anxiiis solennitatibus juris exercendum, cum sit præparatorium *Causæ*, in quo non quiescimus: & quidem si *Causa Proprietatem* respiciat, exercetur *Processus Possessorius Plenarius*, quem alii vulgo vocant *Possessorium Ordinarium*, non eo sensu, quasi procedendi modus in hoc non sit *Summarius*; sed

In dubio de possessione, datur Possessorium Summariissimum.

S 2 respe-

90.) His verbis refert MENOCHIUS de Retin. Poss. Remed. 3. n. 778.

respectu cognitionis causæ & probationis, quæ plena & perfecta exigitur, exhibito etiam Possessionis titulo. Si vero Causa ipsa sit Possessoria, & sola Possessio rei intendatur, oritur frequenter Processus *Summariissimus*, tanquam præparatorius ad Causam Possessionis plenariæ, in quo cognitio Causæ & probatio prorsus exacta atque plena non requiritur, sed sufficiunt leviores probationes, ut quis auctoritate Judicis quiete & sine turbatione retineat Possessionem & Possessionis commoda, donec jus & titulus possidendi ab alterutro plene probetur (91.).

Ad istud pertinet Constitutio Imperii super litigiosa possessione. §. 235. In Legibus Imperii, specialis habetur Constitutio Caroli V. & Ferdinandi I. (92.) super *litigiosa Possessione*, ad Pacem publicam in Imperio

-
- 91.) De indole hujus Judicii Possessorii vid. FRIDERUS MIND. de Interdictis. c. 13. n. II. seqq. MARANTA Prax. aur. p. 4. dist. 9. n. 43. MEVIUS p. 2. decis. 236. n. 5. SCHULTERUS Exercit. 13. ad Pandect. §. 10. DE BERGER Elect. Proc. possess. §. 1.
- 92.) In Comitibus Wormatiensibus & Augustanis Ann. 1521. 48. & 55.

rio firmiter conservandam promulgata 93.) ubi ob imminens armorum periculum probabilis Judicis suspicio multum efficaciam obtinet, & plerumque ex officio proceditur. Vocatur a multis Possessorium *Momentaneum*, ex ea ratione, quod levis sit momenti & prejudicii, utpote quod in Possessorio plenario restaurari potest, ac brevissimam tribuit Possessionem, donec de jure possidendi constet. Alii tamen forte melius hanc vocem *Momentum* 94.) non intelligunt de brevitate temporis, sed de prejudicio, quod modo levius, modo gravius ex decisione talis Causae oritur 95.).

§. 236. Huic Judicio Summariissimo *Mandatum de Manu-
tenendo*, tum de
quando agitur de re detinenda, do- *Manu-
nec*

S 3 nec

93.) De hac etiam in Ord. Cam. p. 2. tit. 21. §. 3. & in concept. nov. Ord. Cam. p. 2. tit. 22. §. 4. disponitur, in quam Ordinationem commentatur ANDREAS GAIL lib. 1. obs. 5. seq. plenius autem GEORGIUS & GERHARDUS PFANKUCH tract. de summariss. Possessorio.

94.) In L. un. C. si de momentan. possess. fuerit appellat. ibi: *Si de possessione & ejus momento causa dicitur.*

95.) JOAN. PARLADORIUS lib. 1. Res. quotid. c. 9. n. 3. seq.

tenendo, nec de pleno Possessorio, vel de **Peti-**
Provisio-torio cognoscatur 96.). Item **Decre-**
nale, **In-**tum **Provisionale**, cujus exemplum dat
terimisti-Lex 97.), quæ propter inopiam pu-
sum, pilli alimenta decerni jubet usque ad
finem litis 98.); item in materia Bene-
ficio- rum Ecclesiasticorum, ubi datur
nova Provisio, quando super titulo pri-
mo, vel jure prætenso disputatur, &
interim pendente lite illi, qui in Pos-
sessione est, per novam provisionem
succurritur 99.). Etiam Camera Im-
perialis decernit Mandata Provisiona-
lia, pendente lite de competentia Fori
100.). Non absimilia sunt Decreta **In-**
terimistica 1.), quibus annumerari po-
test Decretum Caroli V. per quod An-
no

-
- 96.) De hoc latissime agit LUDOV. POS-
TIUS tract. Mandati de Manuten.
97.) L. 27. §. 3. ff. de inoffic. testam.
98.) De ejusmodi Decretis agit REBUFF-
FUS tom. 1. Comment. in Constit. Re-
gias tract. de sentent. Provisional. in
Præfat.
99.) FLAMIN. PARISIUS de Resignat.
Benefic. lib. 7. q. 7. n. 8. REBUFFUS in
Prax. Benefic. tit. de nova Provisione,
100.) Vid. BARO DE CRAMER Wetzlar-
sche Beyträge p. 1. III. fol. 6.
1.) De his STRYCKIUS Tom. 1. Disp. 19.

De *Causa Poss. & Propr.* 279

no 1548. declaratur, quid in *Causa Religionis Interim* observandum sit, donec controversæ quæstiones deciderentur per Concilium Tridentinum 2.). Alia similia remedia variarum Nationum passim recensent Autores 3.).

§. 237. *Causam Possessionis & Proprietatis* in eodem iudicio cumulari, *Possessionis* aut successive institui posse, passim traditur, & in praxin deducitur, sub certis limitationibus, quas hoc loco recensere nimis longum esset 4.). Utraque autem *Causa* apud eundem *Judicem* tractanda est, nisi *Judex* intuitu unius *Causæ* vel personæ esset incompetens. Unde si juxta hodiernum morem in foro laico circa *Causam Ecclesiasticam* de mero facto agatur, & sententia feratur in *Possessorio*; non poterit postea idem *Judex secularis* eandem *Causam* in *Petitorio* cognoscere. Item si actor *Clericus* a *Judice seculari* pro se obtineat sententiam contra *Laicum* in *Possessorio*, non poterit po-

S 4

stea

-
- 2.) Vid. *Recess. Imper. Tom. 2. a fol. 540.*
3.) *POSTIUS Observ. 3. PFANKUCH lib. I. c. I. n. 8. STRYCKIUS cit. Disp. 19.*
4.) Vid. *Interpretes in C. cum super 4. de Caus. poss. & propr.*

stea Clericus a Laico conveniri coram eodem Judice in Petitorio. Hæc intelliguntur de Judice in prima Instantia: nam si per viam Appellationis Causa Possessionis defertur ad Superiorem Judicem, non poterit iste, Causa Appellationis decisa, deinceps agere Judicem de proprietate in prima Instantia: sed debet Causam in Appellatorio decisa remittere ad Judicem primæ Instantiæ, apud quem agatur in Petitorio. Aliud observatur in Curia Romana, quæ Causam Possessionis ad se delatam per viam Appellationis, retinet etiam decidendam in Petitorio.

TITULUS XXI.
DE EXCEPTIONIBUS ET
REPLICATIONIBUS.

*Conf. Lib. II, Decretal. Tit. 25. In
Sext. Tit. 12. in Clemen.
Tit. 10.*

§. 238.

Exceptio **R**EUS ab Actore in Judicio impetitus, potest se contra Adversarii intentionem defendere per Exceptionem. Sicut *Actio* dicitur *Jus persequendi id, quod*